

nem statim contrahendi matrimonium, ut si qui in concubinato deprehensi, essent plectendi a iudice, et ideo ad effectum, ut iudici dicere possint se esse conjuges, et se eximere a pœnis, poterit super denuntiationibus dispensari; Sanchez, *l. c.*, n. 16; Boss., n. 92; Filliuc., n. 178. (47. *Quarta* est, si quis esset statim longe abiturus, et ad reparandum honorem feminae, vel ad prolem legitimandam vellet ex improvise ante discessum contrahere; Boss., *l. c.*, n. 92; De Justis, *l. c.*, n. 172. (48. *Quinta* est, si aliqui in concubinato permanentes, existimantur tanquam vir et uxor, quia verecundia, quam haberent in publicando hujusmodi matrimonio, sufficit pro causa dispensationis in ipsis denuntiationibus; Sanchez, *l. c.*, n. 3; Silvester, verb. *Matrimonium*, 6, qu. 7, dist. 2. (49. *Sexta* est, quando probabiliter timetur matrimonium injuste esse impediendum, aut per maleficia, aut per parentam vel aliorum fraudes; Francis. Molin., *De ritu nuptiar.*, lib. 1, difficult. 11, n. 51; Marcell. Vulpe, in *Praxi judic. fori Eccles.*, capit. 15, n. 20; Barbosa, *De offic. episcop.*, d. allegat. 32, n. 41. (50. *Septima* est, quando inter contrahere volentes adest disparitas conditionis, ætatis, divitiarum et qualitatibus, quando scilicet nobilis cum ignobili, pauper cum divite, honestæ vitæ cum turpi et infami matrimonium contraheret; Sanchez, lib. III, disp. 9, n. 3; Navar., in *Manual.*, cap. 21, n. 70, vers. *Advertendum*; Zerola, in *Praxi episcopali*, part. 1, verb. *Matrimonium*, § 9, in fine; Barbosa, *l. c.*, n. 46. (51. *Octava* est, quando magnates contracturi sunt matrimonium, quia, cum magna deliberatione solet tractari, eorumque impedimenta valde nota sunt, si quæ adsint; Sanchez, d. disp. 9, n. 6; De Justis, *l. c.*, n. 162; Jacob de Grassis; in *Decis. aureis*, par. 1, lib. II, cap. 86; Barbosa, *l. c.*, n. 45. (52. *Nona* est, quando tempus, quo nuptiæ prohibentur, instat, ita ut nequeant omnes denuntiationes præmitti. Zerola in *Praxi episcop.*, par. 1, verb. *Matrimonium*, § 9, in med.; Reginald., lib. XXXI, n. 235, vers. quarta; Genuens., in *Praxi archiep.*, cap. 20, n. 3; Barbosa, *l. c.*, n. 48. (53. *Decima* est, si virgo sit sub tutela iniqui tutoris, qui eam viro ignobili et disparis conditionis tradere intendit; Sanchez, lib. III, disput. 9, n. 13; Genuens., *l. c.*, vers. quarta; Boss., *De matr.*, cap. 7, n. 81; De Justis, *l. c.*, n. 160; Barbosa, *l. c.*, n. 42. (54. *Undecima* est, si vir feminam defloravit, et damnum amissæ virginitatis reparare intendit, et si matrimonium causa præmittendi denuntiationes differatur, periculum esset in mora; Sanchez, *l. c.*, n. 13; Barbosa, *l. c.*, n. 91; De Justis, *l. c.*, n. 182. (55. *Duodecima* est, si periculum adsit, ut aliquis ex contrahere volentibus mutet voluntatem, et id tenderet in præjudicium animæ, ut quando meretrix in lupanar exposita velit matrimonium contrahere, ut sic a malo statu, in quo reperitur, desistat, et periculum adsit, ne ipsa, aut sponsus mutet voluntatem, si contractus matri-

monii differatur, dum sint factæ denuntiationes; De Justis, *l. c.*, n. 172, cum Sanchez, Filliuc. et Aversa. (56. *Tertia decima* est, dum aliquis ex publicis denuntiationibus, aut ex dilatione tot dierum timeret sibi aliquod grave damnum, molestiam, aut amissionem alicujus notabilis commodi sibi, vel suis conjunctis; Avers. quæst. 7, sect. 2, vers. *Pluresque*; De Justis, *l. c.*, n. 174. (57. *Quarta decima* est, vitatio scandalorum ob aliquam factionem, quæ cessaret statim secuto matrimonio; Sanchez, *l. c.*, n. 18; Stephanus a S. Gregorio, lib. III, cap. 97; De Justis; *l. c.*, n. 176; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 25. (58. *Quinta decima* est, quando moraliter certum est nullum adesse impedimentum, aut aliud obstaculum, quia causa, ob quam fuerunt ordinatæ denuntiationes, ea fuit, ut impedimenta detegantur; si ergo moraliter certum est nullum adesse impedimentum, poterit in denuntiationibus dispensari; Bosco, *l. c.*, n. 146; De Justis, *l. c.*, n. 161; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 27, et cum pluribus aliis a se citatis Sanchez, lib. III, disp. 9, n. 7.

(59. Episcopus, seu alius ordinarius, licet propter omnes supradictas causas, vel alias consimiles, possit in denuntiationibus matrimonialibus dispensare, non tamen tenetur dispensare semper propter omnes; quia non omne, quod potestati Judicis committitur, id juris necessitati subjicitur; *l. Quidquid* 4, ff. *De Judiciis*; dispensatio enim etiam legitima, et ex causa facta, adhuc vocatur gratia et misericordia; cap. *Licet*, canon. 14; *De elect.*, in 6, ibi: *Possit ordinarius dispensationis gratiam facere*; c. *Didici* 15, caus. 1, quæst. 7, ibi: *Dispensationis enim gratia*; cap. *Pastoralis* 7, *De cleric. excomm. ministrant.*, ibi: *Nisi misericorditer cum eis fuerit dispensatum*: adeoque, si subinde ex sola gratia, et misericordia fit, non semper necessario fit, sic Sanchez, lib. III, disp. 10, n. 3; Pontius, lib. V, cap. 31, n. 6; Gutierrez, lib. I *Can. qq.*, cap. 20, n. 33; Palao, *De sponsalib.*, disp. 2, punct. 13, § 3, n. 1; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 41, et fere communis aliorum contra plures a Sanchez relatos, volentes quod episcopus seu alius ordinarius semper teneatur dispensare, quoties intervenit aliqua justa causa dispensandi.

(60. Tenetur autem ordinarius sub mortali dispensare in denuntiationibus, quoties dispensatio servit pro bono communi, et quoties conducit ad acquirendum notabile bonum privati, vel ad avertendum periculum incurrendi notabile damnum in bonis animæ, famæ, et corporis, aut fortunæ; et ratio est quia prælatus ex officio tenetur providere, et bono communi, et particulari subditorum, illorumque periculis obviare; ergo quoties dispensatio facit pro notabili bono acquirendo, aut pro notabili malo avertendo, tenetur sub mortali ordinarius illam concedere; Sanchez, *De matr.*, lib. III, disp. 10, n. 6; Gutierrez, *De matr.*, cap. 37, n. 4, 5; Barbosa, *De offic. episcop.*, d. allegat. 31, n. 51, et super Trident., sess.

xxiv, cap. ., *De reform. matrim.*; Boss., *De matr.*, cap. 7, § 25, n. 103, et sequent.; Bonacina, *De matr.*, qu. 1, punct. 6, n. 7; Zipæus, lib. IV, tit. *De matr. et sponsal.*, n. 11, vers. *Et existente causa*; Hurtad., *De matr.*, disput. 5, diffic. 20, n. 7, vers. *Nos ergo*; Filliuc. t. I, tract. 10, cap. 5, n. 179; Panimoll., part. III, decis. 173, annot. 1, n. 44; De Justis, *l. c.*, n. 143; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 42, et alii plurimi. (61. In prædictis casibus, in quibus tenetur ordinarius dispensare, potest ab eo appellari de injusta denegatione dispensationis, et quoad effectum devolutivum, et quoad effectum suspensivum, quia ille, cum quo est dispensandum, habet actionem ex præcepto legis, ut secum dispense: Sanchez, lib. III, disp. 10, a. n. 12, et præsertim, n. 20; Filliuc., *l. c.*, n. 181; Gutierrez, *l. c.*, c. 57, n. 5; Pellicion, q. 6, c. 1, pag. 1035, col. 2; De Justis, *l. c.*, n. 147, et alii. (62. In casibus vero, in quibus adest justa causa dispensandi, et non stricta, et rigorosa obligatio dispensandi, tunc si ordinarius nolit dispensare, poterit ab injusta denegatione appellari ad affectum solum devolutivum, non autem suspensivum. Sanchez, dic. disp. 10, n. 19 et n. 21; Avers., qu. 7, sect. 2, Filliuc., *l. c.*, Stephanus a S. Gregorio, *l. c.*, n. 12; De Justis, *l. c.*, n. 148, et eo casa superior tenebitur vel dispensare, vel cogere inferiorem, ut dispense; Sanchez, et Filliuc., *l. c.*; Barbosa, dict. allegat. 32, n. 52; Hostiens., in *Summa*, lib. V, tit. *De dispensat.*, n. 2; Sperell., decis. 111, n. 11; De Justis, *l. c.*, n. 149.

(63. In casibus, in quibus necessaria est dispensatio, vel pro legitimanda prole, ut si morti proximus velit cum concubina contrahere, vel ad evitandum periculum infamiae, aliaque gravia imminentiæ scandala, et mala, et ordinarius adiri non posset pro dispensatione, seu injuste, et indebite dispensationem denegasset, et periculum esset in mora, tunc parochus posset sine denuntiationibus matrimonio assistere, non quidem dispensando, sed declarando eas non obligare in similibus degenantibus casibus, quia necessitas nullam legem agnoscit: c. *Consilium* 2, *De observatione jejuniorum*, ibi: «Cum non subiaceat legi necessitas,» et *l. unic. ff. De offic. consul.*, l. *Aliquando* 5 ff. *De proconsul.* Sic Squillant., *De obligat. cleric.*, part. II, n. 124; Sanchez, disp. 10, n. 25 et 29; Layman, lib. V, tract. 10, part. II, cap. 4, n. 11; Filliuc., *l. c.*, n. 182; De Justis, *l. c.*, n. 144; Tanner, tom. IV, disp. 8, quæst. 3, n. 132; Gobat, tract. 10, n. 403 et sequent.; Pontius, lib. V, cap. 32, n. 7; Barbosa, d. allegat. 32, n. 53; Aversa, qu. 7, sect. 2, vers. *Si tamen*, Reiffenstuel, *l. c.*, n. 39, et sic contractum fuisse validum quoddam matrimonium censuit sac. cong. *Concil. in una Mediolanensi die 23 Febr. 1630*, ut refert et tenet Pirr. Corrad. in *Praxi dispens. Apostol.*, lib. VII, cap. 7, n. 26. (64. Hinc patet denuntiationes non requiri ad validitatem matrimonii, cum per omissionem earum, etiam sine ordinarii

dispensatione, non reddatur nullum matrimonium, ut censuit sacra congregatio Concil. in una Mediolanensi die 24 Septembris 1591, tenoris sequentis: «Sacra congregatio Concilii censuit matrimonium contractum non præmissis denuntiationibus, nisi aliud obstet, irritum non esse,» Et in alia *Jurisdiction.* de mense Nov. 1587: «censuit omissione denuntiationum, et contradictione parochi adhibiti, non effici nullum matrimonium.» Sic refert Panimoll., par. III, decis. 173, adnot. 1, n. 1, et tenent communis doctorum, et continua praxis

(65. Post factas denuntiationes, qui novit aliquod impedimentum inter volentes contrahere, etiamsi occultum sit, et illud probare non possit, tenetur sub peccato mortali, vi talium denuntiationum manifestare, dummodo tamen absque suo gravi incommodo aut præjudicio id facere possit. El ratio est quia quis tenetur avertere ruinam spiritualem, et grave peccatum alterius, atque irreverentiam sacramenti, si commode, et absque suo præjudicio potest; unde cum in casu nostro hoc possit, ex quo, revelando impedimentum, facit quod alii contrahendo graviter non peccent, et ne gravis irreverentia irrogetur sacramento, quod alias fieret, stat evidenter teneri sub gravi ad manifestandum; ita Gutierrez, *Can.*, lib. I, c. 11, n. 12 et 29, et *De matrim.*, c. 59, n. 9; Sanchez, lib. III, disp. 13, n. 2; Coninch., disp. 27, dub. 7, n. 61; Reginald., lib. XXXI, num. 128; Reiffenstuel., *l. c.*, n. 49; Hurtad., *De matrim.*, disp. 5, diff. 21; Bonac., *De matrim.*, qu. 2, punct. 6, num. 20; Covarr. *De sponsal.*, par. II, c. 6, § 10, n. 21; Navarr., in *Manual.*, c. 21, n. 83; Barbosa, d. alleg. 33, n. 25, et super Trident. sess. XXIV *De reformat. matrim.*, c. n. 34, et alii passim. (66. Nec excusabitur ab obligatione denuntiandi, quamvis ex ipsa denuntiatione secuturum sit damnum tertio, et quamvis etiam ipse solus impedimentum sciverit, vel sub secreto acceperit, vel ab aliis dici audiverit, dummodo personæ, a quibus dici audivit, sint fide dignæ. (67. Non tamen si accepisset a persona nil certum sciente, vel levi, vel si non meminit a quibus dici audiverit; Sanchez, lib. III, disput. 13, num. 7; Pont. lib. V, cap. 34, num. 1; Bonacina, *loc. cit.*; Filliuc., tom. I, tract. 10, part. I, cap. 5, num. 185; Boss. *De matrim.* cap. 7, a. n. 164; Avers., q. 7, sect. 4; Barbosa, *l. c.*; De Justis, *l. c.*, n. 211 et 212. (68. Cognoscens aliquod impedimentum, vel sub secreto, vel occultum, ita ut solus ipse noverit, et tale impedimentum oriatur ex infamia, aut peccato, et contrahentes sint in bona fide, non tenetur detegere, sicut non tenetur impedimenta denuntiare cum gravi suo incommodo, vel aliorum scandalo; Barbosa, d. allegat. 32, n. 26, et super Trident. *l. c.* n. 35; Chamberata, dub. 27, vers. 9; Bonacina, d. punct. 6, n. 20; Basil. Pont. *De impediment. matrim.* c. 26, § 4, vers. *Denique*; Hurtad., *Disc. de offic.*, 21, n. 75, F. Emmanuel, in *Summa*, par. I, cap. 217, n. 9; De Justis, *loc.*

cit. n. 222 et alii. Et quod non teneatur impedimenta denuntiare cum gravi suo incommodo, vel aliorum scandalo, est communis cum Pontio l. v, c. 34, n. 2, quia charitas non obligat magno cum damno proprio avertere alterius damnum, sive spirituale, sive aliud.

(69. Denuntiationes matrimonii sine gravi causa non sunt omittendæ; Benedict. XIV, tom. I, constit. 35, incip. *Satis vobis*, § 5.

(70. Nec super trina denuntiatione matrimonii est facile dispensandum; idem const. 85, *Nimum. V. Append.* in fin., art. 7 h. rubricæ. (71. Dispensandi facultas adimitur nuntio Apostolico in regno Poloniæ commoranti. Idem *ibid.*, § 16. (72. Denuntiationum lex pro contrahendis matrimoniis in Servia, et finitimis regionibus est servanda. Idem const. 89, *Inter omnigenas*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(73. De origine denuntiationum matrimonii, vide, si lubet, Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprudentia canon.*, verb. *Ban de mariage*, sect. 1, n. 1.

(74. Mire inter se dissentiunt doctores de tempore, quod a factis denuntiationibus ad matrimonium elabi debet, ut ex repetantur. Alii tenent, tunc demum esse repetendas denuntiationes, quum annus elapsus est. (75. Alii sufficere arbitrantur, si elapsi sint menses quatuor, ut denuntiationes repetantur. (76. Alii, quos sequitur auctor, num 15, duos menses satis esse volut pro repetitione denuntiationum. (77. Et hunc terminum statuit D. Carolus Borromæus in *concilio Mediolanen.* V, tit. 17.

(78. Nata inde est hæc varietas, quod in jure nihil de hoc tempore sancitum est. Ego cum Rousseaud de la Comb. in sua *Jurisprudentia canonica*, verb. *Ban de mariage*, sect. 3, num 2, censeo, terminum hunc dependere debere a circumstantiis, tum a prudentia episcopi. (79. Quod si aliqua suspicio sit de novo aliquo impedimento, repetendæ sunt denuntiationes, quamvis nec duo menses sint elapsi.

(80. Tametsi nonnulli cum auctore n. 18, et plur. sequent. sentiant, denuntiationes fieri posse diebus non festis, si magnus sit populi concursus, et quidem etiam extra ecclesiam, (81. tum fieri posse in ecclesia diebus festis, dum celebrantur vespere, concilium tamen Tridentin., ut observat Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprud. canonica*, verb. *Ban de mariage*, sect. 3, n. 4. (82. aperte contrarium est, eo ipso quod decrevit, ut fiant denuntiationes diebus festis inter missarum solemnias.

(83. Opinio auctoris n. 31, quod vicarius generalis, vi solius generalis commissionis vicariatus, possit dispensare super denuntiationibus, plures habet contradictores, quos citat Leuren *De vicar.*, tract. 1., sect. 3., cap. 3, § 8, q. 161. (84. Sequitur autem mox laudatus doctor eandem auctoris opinionem, sed una monet, posse episcopos ejusmodi facultatem dispensandi super

denuntiationibus etc. sibi ipsis reservare etc. (85. « Unde, inquit, an vicarius hic et nunc in dictis denuntiationibus remittendis dispensare valeat, colligendum ex mente episcopi, et ex consuetudine hujus, vel illius Ecclesiæ; (86. ita tamen, ut si in generali commissione vicariatus, aut extra id expressum non sit ab episcopo, aut aliud habeat dicta consuetudo, id possit vicarius. »

(87. Dum contrahentes sunt duarum diocesium, necessario requiri, ut dispensatio super denuntiationibus concedatur ab utroque episcopo, contra Barbos., Sanchez, Bonacin., aliosque quos sequitur auctor n. 34, tenet Rousseaud de la Combe, in sua *Jurisprudentia canonica*, verb. *Ban de mariage*, sect. 4, dist. 3, n. 6.

(88. De causis ex quibus concedi debet dicta dispensatio confert Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprudentia canonica*, sect. 4, dist. 2, ubi improbat causam illam, quam affert auctor, n. 52. imminenti temporis, quo nuptiæ celebrari nequeunt, et pro se allegat D. Carolus Borromæus in *concilio Mediolanensi* V.

(89. Denuntiationes non esse necessarias, adeoque omitti posse tenet Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprudentia canonica*, verb. *Ban de mariage*, sect. 4, dist. 1, si celebratio matrimonii demandata sit decreto alicujus supremi tribunalis.

ADDITIONES CASINENSES.

(90. Quoad pœnas, quæ matrimonia, denuntiationibus posthabitis, sequuntur, tam respectu parochi, quam ipsorum contrahentium, et testium, addimus cum Benedicto XIV quod « parochus matrimonio interesse præsumens, cui legitimæ non præcesserint denuntiationes, suspensione ab officio, triennio duratura, aut etiam graviori pœna plecti jubetur in cap. *Cum inhibito*, § final. ex *De clandest. desponsat*; a qua quidem suspensione, cujus tempus est a jure determinatum, non posse eundem intra triennium ab episcopo absolvi, docent Sanchez... Gutierrez... et Pontius... » *De synod. dioceses.*, lib. XII, cap. 6, n. 2.

(91. Insuper ait Sanchez: « Admitterem, posse judicem suspendere eum parochum triennio suspensum ab officio, eo quod interfuit matrimonio clandestino ob solam denuntiationum omissionem, posse (inquam) suspendere simul a beneficio, quando culpæ gravitas hoc postularet. » *De matrim.*, l. III, disput. 51, n. 14.

(92. Amplius, eodem Sanchezio docente « incurret parochus eam pœnam, ut suspendendus sit triennio non tantum quando interfuerit matrimonio clandestino, vel impedire neglexerit, sed etiam idem dicendum est de aliis matrimoniis interdictis jure, vel a judice. Nam § final. (cit. cap.) *De clandest. desponsat.* sic dicitur: « Sane si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere neglexerit, » ubi verbum illud *tales* refertur ad nuptias, de quibus § præcedenti egerat ille textus: egerat autem de clandestini-

nis, vel interdictis conjugii. Sic Majolus... unde bene infert parochum conjungentem vagos, non servato quod præscribit Trident., sess. XXIV, *De matrim.*, c. 7, incurrere eam pœnam, ut triennio suspendendus sit.... Eadem ratione, si alter sit vagus, aut alienigena, licet non vagus, parochus assistens tali matrimonio, incurret eandem suspensionem, si absque ordinarii licentia intersit. » L. cit., disput. 48, num. 5.

(93. Quantum vero ad ipsos contrahentes, ac testes spectat « quia (illi) Ecclesiæ mandatum in re sane gravi contemnunt, conditionem penitentiam injungendam in cit. cap. *Cum inhibito*, § final. statuitur. Testibus tamen, qui ejusmodi matrimoniis assistunt, nulla pœna, neque a concilio Lateranensi, neque a Tridentino reperitur imposita: at nihilominus pleræque diocesanæ synodi etiam in illos duxerunt animadvertendum pœna excommunicationis latæ sententiæ. Quamvis porro Soto... absonum visum sit, a particulari synodo illam in prædictos testes irrogari pœnam, a qua infligenda concilia generalia abstinuerunt, ac proinde præfatas constitutiones irritas existimaverit; rectius tamen earumdem validitatem propugnat, atque a Soti argumentis vindicat Sanchez... Etenim cum testes præfati assistentiam præstent matrimonio ab Ecclesia interdicto, graviter profecto in Ecclesiæ leges delinquant: quapropter synodales constitutiones eorum culpam debita coercentes pœna, nihil agunt contra canones, sed canones ipsos tuentur, ac fovent. » Sic idem Benedictus XIV, *De synod. dioceses.*, cit. lib. XII, cap. 6, n. 2.

(94. Atque ad hanc doctrinam magis firmandam non supervacaneum addere putamus, quod licet nec archiepiscopi, etiam in provinciali concilio, nec episcopi pro suis diocesisibus, multoque minus alii inferiores prælati possint pro subditis quidpiam statuere contra jus commune canonicum, aut alias constitutiones Apostolicas, ut unanimiter docent DD., quippe *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*: sicut nec per episcopos, etiam in synodo diocesanæ, aliquid statui potest, quod canonicis adverse institutis: c. 9. *De majorit.*, etc. « Hoc tamen non obstante, possunt leges superioris per inferiorem adjuvari per pœnæ adjectionem... Ratio est: quia nullo jure istud reperitur prohibitum, et longe aliud est, legem superioris tollere, aliud vero eam, ut melius servetur, per pœnæ adjectionem adjuvare. » Reiffenst., ad tit. 2, ex. *De const.*, § 4, n. 75, 76.

ARTICULUS V.

Quoad ea quæ concernunt impedimenta mere impedientia, et septem prima dirimentia.

SUMMARIUM.

1. Impedimenta matrimonii sunt duplcis generis, et quæ? — 2. Datur in Ecclesia Dei potestas constituendi impedimenta matrimonii. — 3. Impedimenta mere impedientia, spectato jure antiquo, fuerint sex, et quæ? — 4. Ecclesiæ vetitum quid

sit? — 5. Tempus feriatum quid, et quale sit? — 6. Catechismus quid? — 7. Crimen quid? — 8. Sponsalia quid sint, et quando impediant? — 9. Votum quid, et quale sit? — 10. Ex assignatis sex impedimentis, non vigent nunc nisi quatuor, et quæ? — 11. Impedimenta dirimentia, quæ de jure antiquo erant tantum duodecim, nunc jure Tridentini sunt quatuordecim, et assignantur. — 12. Error est quadruplex, scilicet persone, fortunæ, conditionis, et qualitatis, et assignatur quilibet. — 13. Error personæ dirimit matrimonium, non solum jure positivo, sed etiam jure naturæ. — 14. Error fortunæ, aut qualitatis non dirimit matrimonium, nisi certo limitaret consensum contrahentis. — 15. Condicio, seu impedimentum conditionis quid sit? — 16. Error conditionis servilis dirimit matrimonium, quando liber credens contrahere cum libera, contrahit cum serva, et econtra. — 17. Intellige de servis, et ancillis proprie talibus, non autem de servis, et ancillis *asciitiis, et originariis*. — 18. Matrimonium contractum a persona libera cum servili prius cognita ut tali, est validum, et licitum. — 19. Item validum est matrimonium contractum inter duas personas similes, etiam invit dominis. — 20. Item validum est matrimonium contractum a persona serva cum alia pariter serva, quam tamen putabat liberam, et cui non nupsisset, si conditionem ejus servilem cognovisset. — 21. Item validum est matrimonium contractum a persona libera cum alia libera, quam ex errore putabat servam. — 22. Item validum est matrimonium contractum a persona serva cum libera, quam ex errore putat servam. — 23. Votum quid, et quale sit? — 24. Omne, et solum votum solemne per susceptionem sacri ordinis, et per professionem religiosam emissum dirimit matrimonium contrahendum. — 25. Votum solemne ordinis sacri est solum impedimentum dirimens respectu matrimonii contrahendi, attamen non dirimit jam contractum, quamvis nondum consummatum. — 26. Votum autem solemne professionis religiosæ, non solum est impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi, sed etiam dirimit jam contractum nondum consummatum. Subnectuntur hic additiones ex aliena manu, quæ in aliis Ferrariensibus editionibus collocatæ reperiuntur sub v. *Conjuges*, in fine: ad numer. 46. — 47. Cognatio est triplex, naturalis, spiritualis, et legalis; et quæ sit naturalis, seu carnalis? — 48. Stipes quid sit? — 49. Linea consanguinitatis quid sit? — 50. Hæc linea est duplex, recta, et transversalis. — 51. Quæ sit linea recta? — 52. Quæ sit linea transversalis, tam æqualis, quam inæqualis? Et quid sit gradus, ac quare sic dictus? — 53. Ad facilius dignoscendum, quot gradibus distent inter se consanguinei, dantur tres regule, prima pro linea recta, secunda pro linea transversali æquali, et tertia pro linea transversali inæquali. — 54. Assignatur regula pro linea recta. — 55. Assignatur regula pro linea transversali æquali. — 56. Assignatur regula pro linea transversali inæquali. — 57. In linea transversali inæquali pro obtinenda in gradibus consanguinitatis dispensatione debent manifestari, nedum gradus remotior, sed etiam propinquior stipiti. — 58. Regulæ traditæ pro computatione graduum in linea transversali, tam æquali, quam inæquali valent solum in jure canonico, non autem in jure civili. — 59. Assignatur ratio disparitatis. — 60. Ordo computationis graduum statutus a jure civili servandus est etiam in foro ecclesiastico, et econtra ordo computationis graduum statutus a jure canonico servandus est etiam in foro sæculari. — 61. Cognatio naturalis non dirimit matrimonium jure ecclesiastico, nisi infra quartum gradum, tam in linea recta, quam in transversali, sive æquali, sive inæquali. — 62. Impedimentum consanguinitatis dirimit matrimonium quoad primum gradum in linea recta, non solum jure humano, sed etiam divino, et naturali. — 63.